Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26300
Copyright: Admont, Benediktinerstift

helyseo iudeorum habuere personam qui ad crucem domino salvatori subsan
nabant. Quod autem dicunt ascende calve ascende, prefigurat quia
in calvarie loco christus ascensurus erat in crucem. Quod vero conversus maledixit
eos helyseus, exierunt duo ursi de silva et interfecerunt .xl. duos pue
ros blasphemantes. ita et christus post passionem et resurrectionem ex mortuis.
postea quam ascendit in celis. sicut helyseus ascendit de bethel .i. de in domo
dei. conversus maledixit iudeis. et xlmo secundo vel nono anno
ascensionis sue inmisit duos ursos de silvis gentium vespasianum
scilicet et titum. eosque crudeli strage (vel interemerunt) deiecerunt. CAP. IIII.

Ubi per servum suum baculum submittit et mortuus non revivixit.
Misit helyseus per servum baculum super mortuum et non revivixit. venit
ipse coniungit et coaptat se mortuo et revivixit. Misit sermo dei
legem per servum (suum) nec profuit in peccatis mortuo generi humano. venit ipse
descendens de celorum sublimitate. quasi de montis altitudine. hu
miliavit semetipsum et configuravit se nobis. mortuisque membris sua
membra conposuit. initaque mortalitatis de suo corpore (vel medicinam) morticinam aptavit.
Deinde super mortuum septies incumbit et suscitat per septiformem spiritum huma
no generi (dat) per quem vivificatus a mortuis resurgat. De ferro a ligno exiliente in

CAP. V. Cum securibus ligna cederent. de ligno ferrum exiliens in profundum profundo
fluminis mersum est. atque in lignum desuper ab helyseo proiectum revisum
est. Ita cum impios iudeos per corporis opera presentia (ta) christus tamquam infructuo
sos arbores cederet. quia de illo iohannes dixerat. ecce securis ad radices
arborum posita est. ab eis in tuenimento passione corpus ipsum deseruit.
et in profundum inferni descendit cum in sepultura depositum tamquam ad ma
nubrium spiritu redeunte surrexit. De egritudine ezechie regis. et xv. annis

CAP. VI. Recumbente in lecto ezechia. quinque egritudine laboranti ex additis.
persona domini esaias propheta adorsus est eum. predicans illi quod mo
reretur. Ille autem exorans dominum in ipso prestituto termino mortis confestim
dominus vocem eius exaudivit. et quindecim annos vite deprecanti extendit.
Qui numerus quindecim annorum. quod sacramenti contineat in misterio videamus.
Nam ut ait apostolus. secundum quod quis operatus fuerit. ita recipiet. idemque iste rex